



EL CONSENTIMIENTO CONDICIONADO

Sacra Romana Rota

CORAM

Carolo Lefèbvre

PONENTE

Nullitatis
Matrimonii

SENTENTIA DEFINITIVA

(OMISSIS)

FACTI SPECIES

1) I. S., undetricesimum annum ducens, ceraturor, et R. S., duobus annis natu maior, operaria, post sponsalia per duos annos protracta, matrimonium celebrarunt in ecclesia S. F. in F. die... 1943. Commercium sexuelle vir antea cum iam fovisset, denotaverat illam cyclo periodico abnormem esse: suspicaverat proinde —uti saltem contendit— illam incapacem fuisse prolem generandi. Iamvero, matrimonio celebrato, difficultates de prole surrexerunt, ita ut a muliere edoctus istam esse incapacem procreare, tectum dereliquerit coniugale anno quidem 1946. Die autem ... 1954 vir libellum supplicem porrexit ecclesiastico Tribunali F. matrimonium nullitatis accusans ex capite conditionis appositae ad normam can. 1092, 4° vel 3° C.I.C. Sententia vero diei ... 1959 adversa fuit votis actoris, qui statim appellavit ad superius Tribunal B. Supplemento instructoriae legitime peracto, praedictum Tribunal reformavit sententiam primi gradus die ... 1961, a qua vinculi Defensor pro munere suo recursum interposuit ad N. S. T. — Die tamen 19 maii 1965 prodiit sententia negativa. Institit autem actor petens beneficium novae audientiae, quod, instructionis supplemento rite peracto, concessum fuit die ... 1968. Exinde concordatum est dubium sub formula: «An sententia rotalis diei 19 maii 1965 confirmanda vel infirmanda sit, in casu?».

IN IURE

2) Definiri potest conditio id quod voluntate partium alligat existentiam iuridicae relationis eventui futuro et obiective incerto. Nexus enim intercedit arctus praefatum eventum inter et voluntatem contrahentis, ita ut haec non deducatur in effectum nisi priore obtento.

Patet exinde conditionem de se postulare eventum futurum,

Iam tamen inde a iure romano determinatum fuerat nonnullas condiciones tenendas esse uti non appositas. Etenim quibusdam in casibus eventus propositus futurus est necessarius, impossibilis aut turpis. Quae regula sabiniana paulatim extensa est ad institutiones et legata, necnon ad fideicommissa et ad libertates (*Inst.*, 2, 14, 10), quin tamen adeo clara fuerit ratio istius determinationis, etsi generatim saltem teneatur illas haud serio positas fuisse. Haec dispositio admissa est in iure canonico quoad matrimonium in can. 1092, 1° statuente: «Conditio semel apposita et non verificata: 1°) si de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur».

Notandum est de se saltem hunc characterem immoralem vel illicitum praebere non quando factum conditionatum est immorale et illicitum, sed quando conditio posita dat ipsi contractui praefatum characterem immoralem vel illicitum (P. F. Girard, *Traité de droit romain*, Paris, 1929, pag. 503), dum alii extollant actum impositum tendens ad promovendam activitatem contrariam moribus bonis vel legi, e. g. si furaberis, si homicidium vel sacrilegium facies (*Inst.*, 3, 19, 24).

Quidquid id est, solummodo conditio de futuro turpis consideratur explicite a iure.

Namque conditio de futuro, si sit contra substantiam matrimonii «illud reddit invalidum» (can. 1092, 2°), dum, si licita sit, valorem matrimonii suspendat» (*ib.*, 3°).

Si autem agatur de eventu praesenti vel praeterito «matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, existit vel non» (*ib.*, 4°), et tunc parvi refert immoralitas vel turpitudine asserta, cum nullus sit nexus voluntarius ferens in obiectum turpe

3) At non adeo clare apparet semper quaenam species conditionis posita fuerit.

Si enim ponitur conditio: «**si proles nascetur**, haec habenda est uti de futuro turpis, si probatur intendi effectivam prolis procreationem, et tunc pro non adiecta est habenda ad normam can. 1092, 1° et ita refertur in una c. Morano diei 25 novembris 1933

(**S. R. Rotae Decisiones**, t. 25, pag. 584, n. 6), etsi non considerata sit pro non adiecta, si apparet illam fuisse revera conditionem stricto sensu sine qua non (*ibid.*, nn. 3, 6; et in una c. Pecorari diei 30 iulii 1947, sicut in una c. Staffa, diei 31 martii 1950), cum iurisprudencia N.S.T. constanti, etsi adversa praescripto legis modo relato, de quibus conferri potest accurate dictum ab Orio Giacchi (**Il consenso matrimoniale**, Milano, 1965, pp. 200 ss.); at potest etiam haec conditio teneri uti contra matrimonii substantiam et adeo resolutoria, si contrahens vim facit in intentionem solvendi matrimonium indissolubile casu defectus assertae conditionis, et tunc applicandus est can. 1092, 2°, et est matrimonium invalidum.

Quod si vim faciat contrahens in ipsam aptitudinem compartis ad prolem generandam, tenenda est haec eadem conditio ut de praesenti, et applicatur can. 1092, 4°, uti in una c. Wynn diei 16 februarii 1946 (*ibid.* t. 38, pag. 122, n. 4) et in una c. Heard, diei 16 octobris 1948 (*ibid.*, t. 40, pag. 363, n. 2), etsi turpis asseratur cum aptitudo fuerit per copulam determinanda.

Apparet exinde iure moneri in una c. Bejan diei 26 iunii 1963 attente verificandum esse utrum revera positus fuerit in casu positivus voluntatis actus sive de conditione de praesenti, sive de conditione de futuro contra matrimonii substantiam.

IN FACTO

4) Pars actrix sicut et mater eius et D. A. D. a proprio parochio praedicantur fide digni. Idem autem accuratius forte asseritur de testibus B., G. et de medico G. Profecto, de aliis testibus nihil apparet a parochis relatum, sed ex modo dictis iam revera innuitur testes qui illorum asserta confirmant veraces esse saltem quantum ad ista.

5) Ad causae meritum quod spectat, animadvertendum est quartum esse iurisdictionis gradum: duae iam latae sunt sententiae pro vinculo, dum una tribunalis B. lata fuerit pro nullitate. Patres autem, decreto diei ... 1968 admiserunt novam causae propositionem, et merito quidem, cum, uti legitur in citato decreto, nova elementa collecta, quae favorabilia sunt aestimanda ad deducendam voluntatem actoris matrimonium conditionatum ineundi, praetermitti nequeunt quin «disceptatio de eis collatis revera cum ceteris actis instituatur».

Primi gradus sententia praetermitti potest quia, ob defectum conventae elementa sufficientia prae oculis habere nequivit ad deducendam et probandam actoris assumptionem. Apellata sententia, scilicet tertii

gradus, plures citat rotales sententias in iure censens casui controverso magis accommodatam apparere sententiam diei 25 novembris 1933 coram Morano (**S. R. Rotae Decisiones**, t. 26, pp. 583 ss.). Patres autem censuerunt conditionem de prole habenda haud semper nec natura sua considerandam esse uti conditionem de futuro «turpem simpliciter», et ita contractui non adiectam. Etenim non desunt rotales sententiae quae illam tenent «contra substantiam» matrimonii; ita sententia c. Wynen diei 16 februarii 1946 (**ibid.**, t. 38, p. 122, n. 5) aut sententia coram Heard diei 16 octobris 1948 (**ibid.**, t. 40, p. 363, n. 2), uti relatum est in parte in iure.

6) Aliunde appellata sententia dubitat de conditionis appositione, nam contendit actorem nullam aptam causam praeuisse dubitandi de capacitate mulieris ad generandam prolem.

Quod tamen minus recte assertum est videtur. Etenim ipsa appellata sententia pluries refert actorem valde sollicitum fuisse de prole impetranda. Constat adhuc pluries illum hanc suam intentionem manifestasse futurae uxori petiisseque utrum iuxta normam constituta fuisset in genitalibus, uti saltem contendit:

«Ripeto che la mia volontà era che avrei considerato nullo il mio matrimonio, se mia moglie non avesse avuto figli», dum determinet: «Hogia detto a chi manifestai la mia volontà, cioè alla fidanzata, a sua madre, a sua sorella, ai miei ed agli amici citati come testimoni», et repetit in altera excussione iudiciali: «La consigliai più volte a farsi visitare, anzi le dissi di farsi accompagnare da mia madre e da mia zia».

Quae omnia, si admittantur, aptum praestare fundamentum pro conditionis appositione ambigendum haud est.

7) Nec dubitandum videtur de I. credibilitate, uti appellata sententia scribit, quia verbis utitur ad instar cuiusdam legisperiti. Etenim, sicut bonus catholicus praesumendum est illum novisse principia quoad matrimonium, etiam conditionatum, ut merito animadvertit sententia B. asserens «prae oculis habendum esse contractum matrimoniale exclusive pendere ex contrahentium voluntate» (53, in fin).

8) Patres revera non inficiuntur actoris verbis in suis declarationibus, in sua summa inspectis, sat ostendere eius voluntatem subiiciendi valorem consensus praestandi a filiorum susceptione.

In libello revera actor exponit se suspicari coepisse de capacitate sponsae generandi filios, quia nempe sponsa non praebebat «cicli regulari mensili», et ideo sponsus exposulavit ab ipsa affirmationem quoad capacitatem, addens se in casu contrario non ducturum sponsam. Cum haec ambigue respondisset et

repudiasset instantiam viri «di sottoporsi alla visita di qualche ostetrico», actor pervenit ad voluntatem subiiciendi proprium consensum capacitati sponsae generandi filios.

Coram iudice I. confirmat asserta libelli, loquens prescius de dubiis quoad capacitatem sponsae generandi filios, et determinat se de conditione consensui apponenda saepius locutum fuisse.

Quaestio nimirum poni potest de facto quod constituat specificum obiectum assertae conditionis? aptitudo mulieris ad procreationem seu conditio de praesenti, aut adhuc conditio de futuro contra substantiam matrimonii seu voluntas dimittendi mulierem, casu quo proles haud nasceretur? Patribus apparuit praevaluisse conditionem de praesenti, et alteram — sub specie conditionis de futuro expressam — intentam non fuisse nisi ut optatus effectus conditionis de praesenti.

9) Nec dubium est praeter verba sat clara, quibus actor in iudicio manifestaverit voluntatem conditionate contrahendi, in casu adhuc verificari illud praesuppositum vi cuius apparet virum **prospexisse ipsam consensum nullitatem**. Etenim clarissime declarat: «Io mi sposai con questa condizione esplicita di avere figliuoli, e più volte la manifestai alla fidanzata. Ho parlato anche con i suoi genitori, prima di sposare, su questa materia, tanto che essi mi dicevano: Se non avessi figliuoli, cosa faresti?», et, prosequitur ille statim: se respondisse: «**La rimanderei a casa**».

Indubium autem est iuxta Rotalem iurisprudentiam id ostendere contrahentem sub conditione contraxisse, namque qui conditionem apponit consensui matrimoniali «necessario prae oculis habere debet possibilem nullitatem consensus quem praestitit, et qui nullo modo nullitatem prospicit, sub conditione non contraxit», uti refertur in una c. Heard, diei 10 novembris 1951 (**S. R. Rotae Decisiones**, t. 43, p. 707, n. 2), et prosequitur asserens: «Potest quidem ignorare iste iuridicam vim et consecutaria legalia conditionis, attamen aliquo modo deficiente conditione, consensum nullum esse, ~~saltem~~ in foro interno, intendere debet et compartem non amplius tamquam coniugem tenere».

10) Quae vero ab actore affirmantur in substantialibus a muliere conventa confirmantur, quae coram Tribunali secundi gradus interrogari potuit.

Ait enim ista: «I, mi domandò se io era una donna normale, ed io risposi di sì, celando il fatto delle mestruazioni irregolari, **perché sapevo che egli voleva bambini**». Ratio autem qua mulier deposuit adeo sobrie excludit aperte eam intendisse decipere Tribunal.

Fundamentum exinde assumptionis actoris validum est aestimandum.

11) Tota proinde quaestio vertitur de vi probationis testimonialis.

Appellata sententia obiicit non omnes testes — secus ac id quod actor tenet — novisse conditionis appositionem. Id verum esse fatendum, attamen exinde non videtur imminutam esse vim asseverationum testium qui deponunt de conditionis appositione.

Qua de re quae suscepta sunt in declarationibus matris actoris cogentia sunt; nonne refert illa: «Mio figlio lo diceva **pubblicamente sempre** che voleva figli dal matrimonio, e quindi se avesse saputo che la moglie non glieli poteva dare, non l'avrebbe sposata» — subdens adhuc: «Sì, mio figlio ha sempre considerato come nullo il suo matrimonio, per il fatto che dalla moglie non poteva avere figli».

Testis A. D. testatur se quidem post nuptias audisse conditionis appositionem iam ante nuptias habita, dum e depositione G. V. clare evadat actorem iam in mente ante nuptias veram apposisse conditionem consensui sui maritali; ait nempe iste: «So di certo che se egli avanti il matrimonio avesse saputo che la sua fidanzata era incapace di avere figli, egli non l'avrebbe sposata certamente». Saltem aequivalenter ex dictis tum matris, tum istius testis eruitur voluntas actoris conditionate contrahendi.

Non est sistendum, uti patet, in examine verborum sub cortice inspectorum, sed quanam fuerit voluntas contrahentis ex iisdem eruendum est.

12) Coram nostro Turno, praeter scriptas attestaciones a quibusdam exhibitas, inter quos adsunt etiam duo ecclesiastici viri suscepta sunt et eorum iudiciales depositiones. Substantialiter confirmantur et voluntas vere praevalens actoris suscipiendi prolem ex ineundo matrimonio et eiusdem intento subiiciendi valorem consensus ab aptitudine mulieris ad generandum. Nonne refert J. P., plene actoris assumptum referens de actore: «Non concepiva un matrimonio senza figli, ed anzi per lui non sarebbe stato valido un matrimonio senza prole, né sua moglie vera se non gli avesse dato bambini», dum denotet se haec scivisse tum ante, tum post nuptias.

Alter testis ex novissimis, R. F., deponit solummodo quoad rem: «Certamente, egli voleva un matrimonio con figli, e per lui un matrimonio senza figli non avrebbe avuto senso».

Censuerunt exinde Patres in casu probatam esse veram ac propriam conditionis appositionem.

13) Appellata sententia dubitat de istius conditionis purificatione, quia certum non esset mulierem fuisse incapacem generandi, idque quia impedimentum conceptionem impediens facile amovibile fuisset levi interventu chirurgico.

Sed cum sententia Tribunalis B. Patres censuerunt

sufficiencia adesse elementa in casu ad deducendam existentiam obiecti conditionis a viro appositae.

Ex actis caeterum constat actorem iam ante nuptias iterum atque iterum adegisse sponsam ad subeundum gynecologicum examen, quia vir ob defectum «cicli mensili regulari» timebat ne R. incapax sit generandi filios. Attamen ante nuptias conventa numquam admisit corporalem inspectionem medici gynecologici, sciens nempe post negativum examen actorem ipsam in matrimonium non ducturum. Exinde remansit vir dubius de mulieris qualitate a seipso requisita. Uti conventa fassa est, demum post nuptias, «io mi sono fatta visitare da un ginecologo, ma da fidanzata no». Et revera quae mulier refert de defectu menstrui, si conferatur cum scripta attestazione medici G. eiusdemque iudiciali depositione, confirmant mulierem, tempore contractus, incapacem fuisse generandi. De facto, post nuptias, etsi matrimonium semper iuxta normam consummatum fuisset - id testante utroque coniuge, neque aliter esse poterat, attenta maxima sollicitudine viri de prole suscipienda — mulier numquam praegnans evasit.

Aptam censuerunt Patres responsionem a medico G. datam coram Tribunali Primae Instantiae; interrogatus enim de vi suae assertionis quam penes conventa «presumibilmente è sempre stata incapace di concepire, anche da giovane», respondit ille: «Sul fatto che essendo stata maritata molto giovane con l'uso, piano piano, l'utero poteva ingrandirsi e quindi divenire capace di concepire, per cui se non ha concepito, l'ipoplasia era molto grave».

Medicus autem in sua epistula ad Tribunal diei ... 1957 producit et remittit capiam integram de R. gynecologico interventu diei ... 1955. Intelligi nequit cur actor hac in re dolo egisset, postulans a medico ut falsum datum a 1955 loco anni 1957 testimonio apponeret. Ex ultima epistula medici clare evadit et respondit veritati primum examen revera locum habuisse die ... 1955.

14) Quibus omnibus in iure et in facto rite perpensis et consideratis, Nos infrascripti Auditores de Turno, ... edicimus, declaramus et definitive sententiamus, ad dubium propositum respondententes:

«Affirmative ad primum,

«Negative ad alterum, seu.

«Sententiam Rotalem diei 19 maii 1965 infirmendam esse, in casu, et ideo constare de matrimonii nullitate, in casu;

«Vetito mulieri transitu ad alias nuptias».

Carolus Lefebvre, Ponens
Henricus Ewers
Ovidius Bejan